Hoc est translatum fideliter sumptum idus Januarii anno domini millesimo trecentesimo vicesimo secundo a quodam testamento cuius tenor talis est. Quoniam
2 nullus in carne positus mortem evadere potest. In Christi nomine ego domina Saurina de Torrente uxor quondam Berengarii de Torrente in meo tamen bono sensu et in mea
plena memoria et loquela meum facio testamentum sive meam ultimam voluntatem. In quo vel in qua si me mori contigerit antequam michi aliud liceat condere testamentum omnia
bona mea mobilia et inmobilia ordinata reperiantur. Et eligo meos manumissores videlicet dominum Franciscum Alcherii archidiaconum de Silva et Gaucerandum de
Biguriis militem et Martinum de Ciurano civem Gerunde, quibus sine dampno eorum dono plenum et liberum posse petendi, exigendi et recipiendi in iure et extra
ius omnia bona mea mobilia et inmobilia et ea distribuendi sicut hic inferius invenerit ordinatum, et idem posse faciendi omnia predicta dono predicto Gaucerando soli
sine aliis manumissoribus supradictis. In primis volo et mando quod omnia debita mea solvantur et iniurie restituantur simpliciter et de plano secundum forum anime ad cognitio-
nem Gardiani fratrum minorum Gerunde qui pro tempore fuerit et prioris predicatorum qui pro tempore fuerit de bonis meis scilicet omnibus mobilibus et inmobi-
libus et se moventibus ubicumque sint. Que omnia statim post mortem meam vendantur per manumissores meos et dicta debita et iniurias restituantur, que si non
sufficerent nullus eorum quibus aliquid de redditibus lego aliquid percipiat donec sit de hiis plenarie satisfactum sicut inferius continetur. Et eligo sepulturam meam
in cimiterio sancti Danielis Gerunde et dimitto ibi viginti solidos pro sepultura et viginti solidos pro missis ibi celebrandis et unum lectum pannorum in ornamen-
tis ecclesie cum meo cohopertorio cirico. Item dimitto conventibus fratrum minorum et fratrum predicatorum Gerunde unicuique quinquaginta solidos pro pitancia in die obitus
mei. Item dimitto quingentos solidos pro missis celebrandis in domibus eorum qui inter eos equaliter dividantur pro anima mea et parentum meorum et Berengarii de Hu-
riolis. Et volo quod statim post mortem meam solvantur. Item dimitto pro meis iniuriis obligatis ducentos solidos qui per ipsos manumissores meos dentur in piis causis pro
anima mea et illorum quibus teneor ad cognitionem et assensum predictorum Gardiani et prioris. Item dimitto ecclesie sancte Marie sedis Gerunde .xx. solidos. Item
ecclesiis sancti Felicis et sancti Martini et sancti Petri unicuique quinque solidos et aliis ecclesiis Gerunde et hospitali novo et hospitali veteri unicuique duos solidos. Item
ecclesiam de Ulvano(?) et clericos .xx. solidos. Item instituo duo anniversaria in monasterio sancti Danielis unum scilicet pro anima mea et aliud pro anima
domine matris mee et quod pro anniversario conventus habeat viginti solidos pro pitancia et .xx. solidos sint ibi pro missis celebrandis. Item dimitto et instituo
alia duo anniversaria scilicet unum in domo fratrum minorum Gerunde et aliud in domo fratrum predicatorum Gerunde. Ita quod annuatim in die obitus
mei celebret et oret deum pro anima mea et parentum meorum et pro animabus Berengarii de Huriolis et Berengarii de Aquina quondam mariti mei et aliorum quibus teneor. Pro
quibus anniversariis unicuique conventui dono et assigno quadraginta solidos barchinonenses de terno. Ad que anniversaria solvenda dictis fratribus minoribus et predicatoribus
ac et dicto monasterio sancti Danielis dono et assigno totum honorem meum dictum de Mediniano, excepto illud quod tali instrumento dedi et assignavi clavigero de
Ulvano(?) et mansum meum vocatum de Podio et mansum meum vocatum Mathums(?) quos mansos habeo in parrochia de Vilaubino cum omnibus censibus agrariis
et tenedonibus predictorum honorum et mansorum et cum hominibus et feminis ibi habitantibus et cum eorum laudismiis et foriscapiis pertinentiis et iuribus
suis. Sic quod omnia ista que dictis anniversariis assigno semper teneat pitanciaria monasterii sancti Danielis que pro tempore fuerit. Et de redditibus predictorum
honorum et mansorum solvat annuatim perpetuo in die mei anniversarii quatuor supradicta anniversaria. Quod nisi fecerit et compleverit dicta pitanciaria sup-
dicti Gardianus et prior possint omnia que pro anniversariis assigno committere alicui alteri qui compleat et compleri faciat integre seriatim antedicta que
et sic oppositum possint semper quotiens eis videbitur amovere et alium substituere. Residuum autem dictorum redditum retenta retrodecima a dicta pitanciaria vel ab
alio qui dictos honores tenebit pro suo labore dividat medietatim. Ita quod unam partem donet annuatim conventui sancti Danielis pro pitancia et aliam pro mis-
sis celebrandis, de qua etiam parte faciat unam tortam ceream que serviet ad elevationem corporis domini in omnibus missis in dicta ecclesia celebrandis. Item di-
mitto unum anniversarium quatuor solidorum in ecclesia de Ulvano super mansum meum vocatum Coles(?) quos quidem .iiij. solidos recipiat pitanciaria sancti
Danielis vel ille qui dictum honorem tenebit et faciat fieri anniversarium .viij. presbiterorum in ecclesia de Ulvano in die obitus mei. Ita quod ba-
iulus de Ulvano habeat pro se .xij. denarios et alii ebdomedarii et stabiliti habeant quilibet .vj. denarios. Volo et et mando quod omnes redditus quos predictis anniversa-
riis assignavi recipiat dictus Gaucerandus de Biguriis donec completa sint omnia debita mea soluta et iniurie restitute. Ita tamen quos istos redditus assignavi
pro dictis anniversariis supradictus Gaucerandus per manum recipiat pitanciarie donec ut dictum est omnia debita mea et iniurie sint integraliter restitute. Item
dimitto CC aureos alfossinos elemosine quam R. de Scala condam instituit in ecclesia Gerunde de quibus emat honor et redditus ad opus eiusdem per meos
manumissores simul cum preposito elemosine pro pauperibus induendis. Quorum prepositus teneatur dividere vestes pauperum de consilio et assensu pre-
dictorum Gardiani et prioris. Item dimitto operi fratrum minorum Gerunde C aureos alfussinos. Item dimitto operi fratrum predicatorum Gerunde C aureos al-
fussinos. Item dimitto domine Ermessendi de Capraria C aureos alfussinos ad omnes suas voluntates faciendas. Item dimitto Arnaldo de Capraria et Bn. de
Capraria et Eymerico de Capraria filiis eius unicuique C aureos alfussinos ad eorum voluntates faciendas. Item dimitto pro anima Berengarii de Aquina quondam
mariti mei C aureos alfussinos qui dividantur per dictos meos manumissores de consilio et assensu predictorum Gardiani et prioris in missis celebran-
dis et aliis piis causis. Item dimitto Bn. filio quondam Berengarii de Huriolis CC aureos alfussinos. Item dimitto Berengario de Scala quinquaginta aureos al-
fussinos. Item dimitto Bn. Andree .x. aureos alfussinos. Item Raymundo filio Martini de Ciurano .x. aureos alfussinos. Item dimitto predicto Martino de Ciurano .xxx.
aureos alfussinos. Item dimitto Gaucerando de Biguriis CC aureos alfussinos et in hiis et in omnibus aliis meis bonis et iuribus mihi competentibus ubicumque post
illa que superius sunt testata ac et mobilibus bonis meis que assigno ad legata mea. Item sicut positum est supra ubi aurei non nominantur heredem universalem insti-
tuo. Sic quod illi quibus dimitto numerum aliquem aureorum vel eos aureos eis a me dimissos habeant una cum eodem Gaucerando herede meo super illos mille quingentos aureos
quos habeo super honores qui fuerunt quondam Berengarii de Aquina mariti mei et quilibet eorum quibus dimitto ab herede dicti Berengarii recipiet et ad vacuum(?) ... eos hono-
res vel bona mea teneat. Item dimitto predicto Francisco Alcherii ducentos solidos barchinonenses quos volo quod de bonis meis ei dentur post mortem meam. Item volo quod omnia bona mea mobi-
lia et inmobilia et se moventia vendantur per manumissores meos et solutis debitis meis et iniuriis et legatis dentur pro anima mea et illorum quibus teneor in missis celebran-
dis. Predicta autem omnia et singula volo et mando fieri et compleri per predictos manumissores meos vel per dictum Gaucerandum per se de assensu et voluntate et consilio predictorum Gardiani
et prioris. Item volo et mando quod detur memoriale per me facto et sigillato sigillo Gardiani Gerunde in omnibus sicut ibi scriptum est seu sint ubi legata aliquibus personis ab
aliquo loco facta ut et sic ubi inventarium feci per me de meis bonis omnibus mobilibus et se moventibus et ita recognosco sicut ibi mandavi poni. Item volo et quod manumissores mei teneantur redde-
re compotum de omnibus bonis meis que recipient predictis Gardiano et priori. Item volo quod si aliquis illorum cum ego legata facio aureos ante me mori contigerit dicta legata addantur illis CC aureis
quos elemosine sedis Gerunde dimisi exceptis omnibus illis de Capraria. Item rogo dominum Poncium de Burgo prepositum sedis Gerunde quod teneat castrum de Palagreto(?) post mortem meam donec aliquid ordinatum
fuerit de eodem de consilio et assensu domini episcopi Gerundensis et abbatis sancti Petri de Gallicantu et Gardiani fratrum minorum Gerunde. Hec est enim mea ultima voluntas quam volo ut
obtineat pro testamento quod si non valet iure testamenti valeat saltem iure codicillorum vel cuiuslibet mee ultime voluntatis. Actum est hoc .iiij. kalendas octobris anno domini ... CCC ...
[quarto(?)]. Sig+num domine Saurine de Torrente predicte que hoc testamentum facio et firmo pariter atque laudo. Testes rogati sunt P. Barcin(?) Guillelmus(?) Milani iunior Guillelmus(?) Milani senior et
Ferrarii Bn. Juliani et P. filius Berengarii Tortelli(?) omnes de Ulvano et Guillelmus Rossi de Torrente. Sig+num Raymundi de Galidia clerici et scriptoris iurati de Ulvano qui hoc scripsit.

Sig+num Petri(?) ... notarii publici substituti auctoritate regia a Raimundo Simonis de Toylano(?) notario Gerunde qui hoc translatum a suo originali fideliter sumptum translatum scribi fecit et clausit.

Sig+num mei B. Geraldi(?) iudicis ordinarii Gerunde qui hoc translatum cum suo originali fideliter comprobavi auctoritate iudiciali subscribo.

Testamento de Isadora Sorrenta que [illegible]
[illegible] de Santa [illegible]

Sea enterrado en la Yglesia de Santa
Ana de S.ta Daniel en la Capilla de [illegible]
mayor y en la Sepultura de [illegible]
Cofradia de los quales se firma alguna [illegible]
honores que [illegible] y se firmara [illegible]
rondas hayan de cobrar y respecto de la [illegible]
Como de otras [illegible] de S.ta Daniel [illegible]
de S.ta Daniel [illegible] de [illegible]
de celebrar y repetirse [illegible] rondas seran [illegible]
Dos de mil [illegible] repetir en [illegible]
Pero de Estrada

N.º 1 Del quarto [illegible] de la Yglesia de S.ta Daniel

T.635 X 360

Tomo 1.º 43.º 1-1823

28-11-1294

[illegible] (2)